

PSALMVS XXVIII.

Titulus, & Argumentum.

Psalmus David, in consummatione
Tabernaculi.

Hic Titulus non habetur in Hebreo,
sed solum Psalmus David: reliqua ad-
dicta sunt, vel à Septuaginta Inter-
pretibus, vel ab alijs. & duobus modis legi-
tur. & intelligitur titulus huius Psalmi. Nā
S.Basilius, Theodoretus, & Euthymius le-
gunt, Psalmus David in exitu tabernaculi,
& significari volunt, præcipi Sacerdotibus
& Leuitis exiuntibus de tabernaculo, ut
prepareret quæ necessaria sunt ad cultum Dei.
Sanctus Hieronymus & Augustinus legunt,
ut nos habemus in editione vulgata, Psalmus
David in consummatione tabernaculi:
& sensum esse vult Sanct. Hieronymus, hunc
Psalmum compositum fuisse, quando David
perfecit tabernaculum, & collocavit in eo
Arcam Domini. Quod attinet ad argumen-
tum, volunt nonnulli ad literam in toto ferè
Psalmo agi de potentia Dei, & velle Davi-
dem horum populum ad Laudandum Deum,
qui potentiam suam solet manifestare admirab-
ilis operib⁹, qua solo verbo, sive imperio facit.
Alij quorum sublimior interpretatio, & di-
gnior Davidic spiritu esse videtur, volunt,
in hoc Psalmo celebrari Euangelicam prædi-
cationem. Congruit vero titulus, in consum-
matione tabernaculi: nā cūm David taber-
naculum fœderis intelligaret signans esse Ec-
clesia, quæ tabernaculum Dei cum hominibus
dicitur in Apocalypsi, & similem spiritu
reuelante cognosceret, instrumentum, quo ta-
bernaculum hoc nouum perficiendum erat,
fore prædicationem Euangelicam, idc in con-
summatione tabernaculi illius umbratici.
Spirit⁹ S. inspirante, cantauit praconia vo-
cū Domini, quæ tabernaculum verum con-
struitur. Nos utramq; explicationem breui-
ter persequemur.

EXPLICAT. PSAL. XXVIII.

Afferte Domino filij Dei, afferte Do-
mino filios arietum.

Cantantes Propheta laudes potentiae di-
uinæ, excitat filios Dei. i. populum Dri pecu-
liarem, cui notus erat Deus (nam notus in
Iudea Deus, in Israhel magnum nomen eius)
ut potentiam illam honorent, victimis co-
tempore cōfætis, & etiam prædicatione vo-
cis, & inclinatione corpotis. Sed iuxta poste-
riorem intelligentiam, caraturus laudes vo-
cis diuinæ, per quam perficitur tabernaculū
i. Ecclesia, quæ est mater omnium filiorum
Dei, invitat ipsos filios Dei, ipsos vocatos illi
la voce celesti, ut Deo sacrificent sacrificium
laudis. Afferte, inquit, filij Dei filios arie-
tum, id est, vos per sanguinem agni immâ-
culati effecti filij Dei, fratre agnos, offerte sa-
crificium gratiarum actionis, & lauds: sic e-
am explicat ipse idem Propheta in seque-
nti versiculo, Afferte Domino gloria, &c. In
Hebreo non habetur, Afferte Domino filij
Dei, sed solam, Afferte Domino filios arietum.
Fortasse in editione q̄ā habuerant Se-
ptuaginta Interpretes erat vtraq; pars versi-
culi, & postea successa temporis excidit pars
prior; fortasse etiam non erat nisi pars poste-
rior, sed ea duobus modis interpretata est, &
altera interpretatio, quæ erat in margine it-
repsit in textum, & hinc nata est lectio, q̄ā
nos habemus. Nata si vox Eloim, legatur ut
modo se habet, significat arietes; si legatur
vnica litera addita Eloim, significat Deum:
proinde eadem scientia reddi potuit, Afferte
Domino filij Dei: & etiam, Afferte Domino
filios arietum. Neq; desunt in editione vul-
gata alij loci, in quibus due interpretationes
eiusdem sententiae simul inueniuntur in tex-
tu. Certè S.Basil. in Comm̄tatio huius Psal-
mi scribit, in multis exemplaribus addita es-
se hæc verba, Afferte Domino filij Dei. Ex
quo intelligimus, nō fuisse hæc verba in om-
nibus exemplaribus Græcis, sed solum in a-
liquibus. Sed undeunque hæc verba in edi-
tione nostra accesserint, satis bene cum se-
quentibus cohærent, & habentur in omni-
bus Latinis codicibus, etiam antiquissimis.

Afferte Domino gloriā & honorē, af-
ferte Domino gloriā nomini eius: ado-
rate Dominum in atrio sancto eius.

Q

Hæc

אֶלְיָהּ

אֶלְהִים